

fiunt à Judice, titulum in speciem validum habente: ne forte plebs innocens ex facto ipsius Principis, Judicem inhabilem de facto saltem tolerantis, graviter decipiatur.

45 Obstat videtur I. cap. *Andum* §. 4. de *Elect.* ubi S. Pontifex facis liquidè reprobata acta cujusdam Archidiaconi, qui, post adeptum Archidiaconatum, plura beneficia parochialia, quibus juxta Concilium Lateranense ipsò jure exciderat, retinere, & eorum exercere

46 præsumperat. Verùm in casu d. cap. resolutio tituli non occulta, sed publica extabat: notorium liquidem erat, quòd ille Archidiaconus plura beneficia curata in simul possederit; cum tamen ex Concil. Lateranensi, relato in cap. de multa 28. de *Præbend.* non minus notorium sit, eos, qui secundum beneficium curatum assequuntur, primò, quòd habuerant, curatò sint ipsò jure privati; & secundò etiam, si primum retinere attentaverint, privandi.

47 Obstat videtur II. quòd, juxta conclusionem secundam, valore destituantur acta ab illo, qui titulò coloratò nunquam munitus erat: adeòque eadem ratione & acta ab illo careant valore, qui titulum habuit ab initio,

sed postea amittit. Sed disparitas inter-

48 utramque facti speciem jam insinuatã fuit. Si enim quis titulum nunquam habuerit, nec proprietate, nec possessione munitur: qui verò titulum semel habitum amittit, proprietatem duntaxat amittit, servatã adhuc possessione, saltem in speciem validã. Ergo non prima, sed secunda acta valent: quippe quibus auctoritas publica, quæ tolerat inhabilem in officio, suffragatur. Paulò aliter responderet D. Gletle d. l. n. 9. *object.* 2.

Colliges hinc I. gesta à Judice Delegato, 49 cujus Jurisdictio per mortem Delegantis, re adhuc integrã, expiraverat, valere, si mors Delegantis communiter ignorata fuerit. Manet siquidem, unã cum errore communi, adhuc quasi-possessio tituli, seu concessiois ac delegationis legitima, in speciem validã; sicque auctoritas publica robur gestis conciliat.

Colliges II. similiter gesta à Judice Dele- 50 gato valere, si revocatus fuerit à Delegante, sed revocatio necdum publicè innotuerit. Nam & illò casu persistit etiamnum colorata quasi - possessio tituli, in speciem validã.

SECTIO II.

De Contrariis Judicii.

SUMMARI A.

51. *Judicium cessat mutua voluntate.* 52. *Sententia definitiva.* 53. *Abolutio ab instantia.* 54. & seq. *Lapsus temporis.* 55. *Praxis contraria notatur.* 57. *Actus admittit valor in incompetentiam absolutam.* 58. *Per inhabili-*

tatem litigantium. 59. *Per defectum ordinis & solemnitatum.* 60. & seq. *Acta judicialia secundum se valent, non autem partes & ordinatio Judicii, quando res absolvitur ab instantia.*

§. I.

Ex quibus causis Judicium omninò cessat?

51 **C**ontraria Judicii sunt, quæ vel ipsa Judicia cessare faciunt, vel actis tantum judicialibus vim adimunt. Cessare Judicia facit I. mutua voluntas partium, utpote quibus liberum est, quoties & quando voluerint, à foro contentioso recedere, ac spontaneã transactione causam decidere. arg. *tit. X. ff. & Cod. de Transact.*

52 **C**od. de *Transact.* II. definitivã sententiã Judicis: posteaquam enim sententiã Judicis causa controversa fuit decisa, finitur instantia, nec auditur regulariter pars victa, nisi, antequam sententia transiverit in rem judicatam, appellacionem interposuerit. cap. *quod ad consultationem* 15. de *Sent. & re jud. l. Index* 55. 53 *ff. de Re judic.*

53 **I**II. absolutio ab instantia, per sententiam interlocutoriam facta, quæ reus absolvitur, quòd minus in causa, ad quam citatus erat, teneatur respondere, fortè quòd actor sit contumax, aut libellus ineptè formatus cap. *examinata* 15. de *Judic.*

54 **I**IV. lapsus temporis: nam causæ crimina-

les intra biennium, causæ civiles autem, exceptis fiscalibus & tributorijs, intra triennium discipandæ sunt, computatione à die litis contestatæ initã juxta *l. properandum* 13. in *pr. Cod. de Judic. & l. ult. Cod. Ut intra certum tempus crim. quæst. termin.* & ibi Brunnem.

Nec de Jure Civili tantum, sed etiam de 55 Jure Canonico, quòd nullibi reperitur ab illo recessisse, nisi, ut aliqui malè somniant in cap. *penult. de Judic.* ex quo tamen potius concordat cum Jure Civili eruitur, utpote cum S. Pontifex permittat causam post triennium à Judice Delegato cognosci, quia ad usque tempus illud per *subterfugia & cavillationes* reorum erat protracta; bonò argumentò, extra hunc casum exceptum, regulæ Civili standum esse. Magnif. D. P. König ad *tit. de Judic. num. ult. Zoëli ibid. n. 13.*

Sed doleas, tam salu- 56 bres constituciones hodie negligi, plurèsque lites non tantum ultra tres annos differri, sed planè immortales evadere.

§. II.

§. II.

Ex quibus causis Judicialibus actis valor adimatur?

57 **A**ctis Judicialibus valor adimatur I. ex persona Judicis, si incompetens sit absolute per ea, quæ scripsimus in *num. 22. & 58 seqq.*

58 **I**II. ex persona litigantium, si stare nequeant in Judicio, vel nomine proprio, quòd Legales non sint, de quibus in *cap. 2. à num. 110.* vel nomine procuratoris, quòd mandat non habeant, de quibus in *d. cap. 592. n. 405. & plur. seqq.*

59 **I**III. ex defectu solemnitatum, aut ordinis judicialis non servati arg. *cap. Ecclesia* 10. in *fin. de Constitut. cap. examinata* 15. de *Judic. cap. un. de Litis contest. cap. veritatis* 8. §. *nos igitur & c. de Dolò & contumacia. cap. si de calumnia* 1. in *pr. de Jurament. calum. in 6. Clem. cap. 2. de P. S. §. ult. Inst. de Paen. temere litigant. l. nequiquam* 9. §. 1. *ff. de Offic. num. 94. & seq.*

Proconf. l. *prolaram* 4. *Cod. de Sentent. & interlocu.* Revolve tamen notata in *cap. 1. à n. 77.*

Quæres: an, si reus v. g. juxta *num. 53. fue. 60* sit absolutus ab instantia, acta procedentia pro nullis habeantur?

Resp. negativè. Tametsi enim ex *cit. n. 53.* ipsum Judicium reddatur nullum quoad partes & ordinationem suam, ac postmodò de novo inchoari, novus offerri libellus, nova litis contestatio &c. fieri debeat; attamen acta 61 judicialia, puta examen, depositiones testium &c. non efficiuntur nulla: utpote cum denominationem & virtutem accipiant ab auctoritate Judicis. Felinus in *Clem. sapo* 2. de *P. S. num. 27. P. W. Iestner ad tit. de Judic. num. 94. & seq.*

CAPUT VIII.

De Arbitrio, seu Affini Judicio.

Affine Judicio est Arbitrium: nam, si Jcto Paulo in *l. compromissum* 1. *ff. de Receptis qui Arbitrium receperunt, ut sententiam dicant, fidem tribuamus, compromissum* (seu Arbitrium) ad similitudinem Judiciorum redigitur: & ad finendas lites pertinet. Rem itaque non inutilem præstitam iri, credebam, si affinis adeò & contermina Judicio materia, coronidis locò, præsentì tractatui connectatur.

SECTIO I.

De Natura, Divisione, & Constitutione Arbitrii.

SUMMARI A.

1. & 2. *Etymologia Arbitrii.* 3. & seqq. *Homonymia.* 7. *Synonymia.* 8. & seqq. *Definitio.* 12. *Aliud generale, aliud speciale.* 13. *Prius non includit lites futuras.* 14. *Aliud Arbitrium dicitur in specie reale; aliud vocatur Arbitrium*

arbitrium. 15. *Quod in sano sensu accipiendum.* 16. *Constitutur variè.* 17. *Passò vel stipulatione.* 18. & seq. *Adjectione panno.* 19. *Et juramenti; quod quidem Jure Civili novè non valet; sed 20. Jure Canonico.*

§. I.

De Nomine Arbitrii.

1 **A**rbitrium suam Etymologiam, ut notat Miller ad *Struv. exercit.* 8. *ib. 95.* ab eundo dedit, quòd scilicet ad binos litigantes tertius accedat, dictus quasi *adhiber* à præpositione ad & verbo antiquò *bitio*, seu, ut modo euphonia gratiã pronuntiamus, *arbitr*.

2 **U**t verò ex Festo Pompeio advertit Gonzalez in *not. ad cap. sane 1. de Arbitrii num. 7.* Arbitrium ab arbitrando derivatum est: quia, qui illud suscipit, omnia arbitratur, & totius rei facultatem ac arbitrium habet.

3 **H**abet in Jure sat multas significaciones. I. enim Arbitrium idem est ac moderatio, dispositio, & administratio rei per *l. in re mandata* 21. *Cod. Mand.* II. Arbitrium idem significat, quòd libera voluntas *l. habeat* 1. *Cod. de SS. Eccles.* III. Arbitrium denotat quancunque rei considerationem & æstimationem *l. quis tam* 52. *Cod. de Decurion.* IV. & hic accipitur pro legitima ac juxta æquum & bonum causæ alicujus controversiæ facta discussione.

4 **Q**uæ ipsa acceptio rursus vel lata, vel stricta, vel strictissima est. Lata est, quando ipsummet Judicium, hucusque consideratum, Arbitrium nominatur, maxime si actio arbitri-

traria vel bonae fidei sit mota per textum in l. item si 14. §. 4. Quod metus causa &c. l. Lucius 24. ff. Depo. l. pro socio 38. ff. pro Soc. l. a divo 15. in pr. ff. de Rejudic. l. ult. ff. Rem pupilli vel adolefcens. l. cum proponas 6. Cod. de R. C. Franzkius ad tit. ff. de Receptis, qui Arbitrium &c. num. 3. Gonzalez cit. l. n. 8. & 9. Stricta est, quando Arbitrium fuit per discussionem, quam Judices extraordinarii faciunt; quales sunt Arbitri Legales & Statutarii, qui ex Lege vel Statuto certarum personarum aut rerum controversias dirimunt, veluti de Austregis in cap. 3. num. 347. dictum; item Arbitri Juris, qui a Pratore vel Judice constituntur, non ut de negotio principali (Videatur tamen cap. Si Clericus 46. XI. q. 1.) sicut Judices dati, cognoscant, sed de causa aliqua incidenti, sicut, ano

§. II.

De Definitione Arbitrii.

Definiri potest Arbitrium, quod sit legitima causa controversiae discussio, ab homine privato, mutuo litigantium consensu, instituta. Dixi I. legitima causa controversiae discussio. In quibus terminis adumbravi convenientiam Arbitrii & Judicii: sicut enim Judicium est disceptatio causa, actorem inter & reum controversiae ex cap. 1. num. 17. & seqq. desiderans duplicem personam, petentem & respondentem d. cap. 1. n. 20. ita & Arbitrium cap. cum olim 7. ibi: utraque pars in eos compromittens &c. cap. exposita 11. ibi: cum parte altera compromittit &c. cap. penult. ibi: designanda causam hujusmodi tractaverunt &c. de Arbitris d. l. compromissum 1. ff. de Recept. qui Arbitrium &c. Dixi II. ab homine privato instituta. Quae locutione difconvenientiam Judicii & Arbitrii sub aspectum dedi: Judicium enim ab homi-

§. III.

De Divisione Arbitrii.

Arbitrium dividitur I. in generale & speciale. Generale dicitur, quando controversiae quaecunque, inter compromittentes ortae Arbitrii decisioni submittuntur. Speciale est in quo una tantum vel altera compromittentium controversia potest dirimi. Querunt hic DD. an Arbitrium generale comprehendat lites futuras? Et communissime respondent, negando propter expressam h. de his rebus 46. ff. d. 1. ubi Brunnem. Tametsi enim in l. quid tamen 21. §. 6. tale compromissum vocetur plenum, & ad omnes controversias pertinere, dicitur: quia tamen ibidem additur: id venire in compromissum, de quo actum est, ut veniet; de causis autem futuris, utpote necdum cognitis, & necdum existentibus, nil actum esse supponitur: ideo Arbitrium, quantumvis generale, velut negotium stricti juris, ad lites futuras non extenditur arg. cap. cum dilectus 6. de Arbitris. Lauterbach cit. l. th. 4. num. 3.

fidejussores sint idonei l. arbitro 9. & seqq. ff. Qui satisfacere cog. an justa sit causa reculandi Judicem cap. suspitionis 39. de Off. Jud. Deleg. l. ult. Cod. de Judic. Franzkius d. l. n. 5. & seqq. Lauterbach in trall. Synops. (habetur in Polium. 4. dist. Tabing. n. 1.) de Arbitris compromissis. ibi. 1. n. 6. 7. Strictissima est, quando Arbitrium significat illam discussionem & causae disceptationem, quae privata auctoritate, in forma & figura veri Judicii, peragitur. Gonzal. d. n. 9. in fin. Strictissima haec significatio praesenti loco propriissima est, in qua Arbitrium pro synonymo habet compromissum l. compromissum 1. & sparsim ff. de Recept. qui Arbitr. quia illi, qui Arbitrum accedunt, compromittunt sibi invicem, quod illius decisioni stare, nec ab ea recedere velint.

ne publico, Judice videlicet, auctoritate publica ad judicandum constituto, peragitur. Arbitrium est diametro ab homine privato, privata auctoritate ad cognoscendam & dirimendam litem assumpto, instituitur, per notata in cap. 2. n. 4.

Dixi III. mutuo litigantium consensu. Unde patet, totam vim & valorem Arbitrii ex mutuo & libero litigantium consensu desumi per l. Labeo 3. §. 1. l. non distinguemus 32. §. 15. ff. de Recept. Eamque ob causam Arbitrium quidem aliquam similitudinem habet cum Jurisdictione prorogata, non tamen sine maxima dissimilitudine: cum Arbitrium, ut praemissum, ab homine, Jurisdictione destitutum, interponatur; Jurisdictio vero pro rogetur ex parte illius, qui antecedenter jam aliquam Jurisdictionem habuit.

Arbitrium dividitur II. in Arbitrium in specie, & Arbitramentum. Arbitrium in specie dicitur, quando Arbitrator, servato Judiciorum ordine, procedit, germanice caproptex Scheyde & Richter / Veranlaßter Richter / Obmann appellatus. Arbitramentum nuncupatur, quando Arbitrator, sepositis Judiciorum ordine & solemnitate, litem ex bono & aequo amice componit, dictus ideo Scheyde & Mann. Haecque divisio magno consensu, praesertim a DD. Practicis, recepta est, ut legitur apud Gail. 1. obs. 150. Brunnem. ad l. penult. Cod. de Recept. Arbitr. n. 6. & seq. Miller ad Struv. cit. exercit. 8. th. 96. pag. 494. col. 2.

Verum eandem divisionem, tanquam commentitiam, & a ratione Juris alienam, post Corralium & Bachovium reprobant Gonzalez ad cap. sane 1. de Arbitr. num. 14. & Vinnius lib. 1. select. quest. cap. 16. Quorum ratio est: quia nupiam in Jure legimus, Arbitratorem adhiberi

hiberi ut Judicem, ad controversiam aliquam, sine figura Judicii dirimendam; sed tantum, ut nudum mediatorem, ad actus extrajudiciales, praesertim contractus, pro determinanda inaequalitate & incertitudine, ratione lucri, pretii, mercedis, quantitatis &c. assumi juxta

l. si coita 75. & seqq. ff. pro Socio l. si merces 25. in pr. ff. Locati l. si quis 43. ff. de V. O. l. ult. Cod. de Contrah. empt. Unde nec sententiam dicere, si nolit, cogitur; nec, si dixerit sententiam, ea tam firma est, ut corrigi non possit d. l. si coita 75. & seqq. ff. pro Socio.

§. IV.

De Constitutione Arbitrii.

Arbitrium pro causa efficiente constitutum non potestatem publicam, sed privatam & mutuum litigantium habere consensum, seu compromissum, antea dictum in num. 10. & 11. Ille consensus vel exprimitur promissione simpliciter, vel qualificata. Simplex fit aut pacto nudo, quando scilicet citra solemnitatem verborum partes controversentes sibi mutuo promittunt, id, quod Arbitrator judicaverit, se servaturas; aut stipulatione, quando verbis solemnibus eandem promissionem faciunt. Qualificata promissio vel accidit adjectione poenae, vel adjectione juramenti. Poena adicitur, dum partes conveniunt de certa summa solvenda in casum, quo Arbitrio contravenitum fuerit per textum in l. litigatores 11. §. 4. l. Pomponius 13. §. 1. ff. l. penult. Cod. de Receptis &c. Nov. 82. cap. 11. Quod si summa incerta fuerit expressa, nihil refert: id enim, quod unius interest, Arbitrio paritum non esse, sustinet rationem certi-

tudinis per l. diem 27. §. ult. & l. non autem 28. ff. d. 1. Miller d. l. th. 101. col. 2. Juramentum adicitur, quando litigantes jurato promittunt, Arbitrii sententiae se staturos. Idque de Jure Civili quondam licitum erat per l. ne in Arbitris 4. Cod. de Recept. Arbitr. postea tamen in cit. Nov. 82. cap. 11. indeque desumpta an hinc decernit Cod. d. 1. prohibitum est, ne periculum perjurii fore veatur, dum facile, qui per Arbitrium laesos se sentiant, Arbitrio stare detraçant, oblit, ut ait Imperator, jurjurandi, quod juraverunt. At Jure Canonico recte juramentum apponitur, idque sub reatu perjurii servandum est per cap. non sine 2. ubi Gonzalez n. 7. & cap. per tuas 9. de Arbitris. Brunnem. ad cit. authent. n. 4. & seqq. Struv. cit. exercit. th. 101. Lauterbach cit. trall. synops. th. 8. n. 3. quod videlicet ex generali principio Canonistarum omne juramentum, quod sine dispendio salutis observari potest, observandum est cap. cum constitutus 28. de Jurejur.

SECTIO II.

De Personis, Arbitrium constituentibus.

SUMMARIA.

22. & seqq. De personis, Arbitrium constituentibus, diversae regionis. 25. & seqq. Nobradotriana. 28. & seqq. Sententiae referuntur, requirunt solemnitates Canonicas ad Arbitrium super

rebus Ecclesiae immobilibus. 31. & seqq. Sententia contraria referuntur, probatur, & vindicatur. 36. Sententia de compromisso feudali recessatur. 37. & seqq. Nostri adducitur, & probatur.

§. I.

Quamvis in Arbitros compromittere possint?

Subiectum, quod Arbitros constituit, sunt personae litigantes. Ubi varii varias ponunt regulas. Molina de J. & J. trall. 5. dist. 40. n. 6. apud Lauterbach cit. l. th. 10. num. 1. citatus, ait: omnes, qui in causa controversia juramentum judiciale possunt deferre, posse in Arbitros compromittere arg. l. iusjurandum 23. in pr. ff. Quar. rer. actio non deitur. Zoësius ad cit. ff. de Arbitris n. 5. & seqq. Struv. cit. exercit. 8. th. 98. dicunt, Arbitrii constituendi facultatem illis competere, qui possunt transigere arg. cap. per tuas 9. de Arbitris, ibi: non tamen et mandavit, ut sine speciali mandato compromittere possent, vel transigere. Panormit. ad cap. cum tempore 5. d. n. 4. Gonzalez ibid. num. 10. Magnusus P. König ad cit. cit. num. 5. P. Wicfner ibid. num. 14. afferunt: compromissum esse licitum iis, quibus est libera rerum suarum administratio, & potestas res illas, quae P. SCHMIEK JURISPR. CAN. CIV. TOM. II.

quibus controversitur, alienandi arg. cit. cap. cum tempore 5. de Arbitris, ubi Pontifex negat, compromissum à Pralato in causa exemptionis valuisse: eo quod absque licentia Sedis Apostolicae tali privilegio nequeat Pralatus renuntiare. Regulas istas perlibenter recipio, si affirmative, ut accerit, intelligatur. Quod si verò negative efferantur, mallem illarum locò dicere, in Arbitros compromitti posse ab illis qui legitimam personam habent, in iudicio standi: & vicissim ab illis compromitti non posse, quibus personae legalitas non suffragatur arg. saepe cit. l. compromissum 1. ff. de Recept. quia à iudicio, ad cuius similitudinem informatur Arbitrium, bonum utique ducitur argumentum ad Arbitrium. Miller ad Struv. cit. th. 98. col. 2. Dices: procurator habet legitimam per- 26 sonam

fonam standi in iudicio quoad causam sibi commissam; & tamen in Arbitrum nequit compromittere nisi datus sit in rem suam, aut specialiter mandato instructus.

Resp. adstruendam regulam non aliter procedere, quam illam, quæ data fuit in cap. 2. n. 116. nempe quod compromittere possit in Arbitrum, qui legitimam habet personam nomi-

ne proprio standi in iudicio: in qua suppositione nullatenus urget, quod objectum erat.

Inferitur ex dicta regula, servos, pupillos, 27 minores, filios familias, Religiosos, & communicatos &c. in illis casibus in Arbitrum compromittere posse, in quibus stare possunt in iudicio, de quibus in cit. cap. 2. videri possunt §. 2. 3. 4. & 6.

§. II.

Possitne Prælati in causa Ecclesie compromittere in Arbitrum?

28 **P**lerisque persuasum adverte, Prælati in causa Ecclesie, quando agitur de re immobili vel mobili pretiosa, non aliter licere, compromissum inire, quam si solennitates, ad alienationem requiruntur, concurrant. Movenitur I. textu cit. cap. cum tempore §. de Arbitr. ubi, cum Pontifex rejiciat compromissum in causa exemptionis: quia, ut dicit, sine licentia Romani Pontificis tali privilegio renuntiare non potest, non obscure colligitur, compromissum in aliis quoque rebus, quas alienare Prælati non est liberum, rejiciendum esse, nisi consensus Capituli unâ cum cæteris solennitatibus

29 accedat. II. textu in cap. pervenit 3. eod. tit. ubi dicitur, compromissum in causa decimarum non valere, tanquam in Ecclesie præ-

30 iudicium formatum. III. ratione: quia Prælati alienare res immobiles, vel mobiles pretiosas alienare, vel super illis transigere, absque eo, quod solennitates consuetæ interveniant cap. contingit 3. de Transact. ideoque nec super illis compromittere ex num. 23. & seq. Ita sentiunt Panormit. cit. l. n. 3. Gonzalez d. l. n. 12. in fin. P. Wiestner d. l. n. 19.

31 Verùm quia superius in d. cap. 2. n. 148. Prælati Ecclesiasticis liberam adstruxerunt facultatem agendi in iudicio, absque eo, quod consensus vel consilium Capituli requirere teneantur; & in n. 153. ibidem conclusi, nec quidem tum consensus esse necessarium, quando causa majoris momenti ventilatur, sed consilium Capituli sufficere: sanè, nisi per saltum & sine consequentia docere velimus, admittam, necesse est, quod Prælati, extra solennitatem Canonicam, de quibuscunque rebus vel iuribus in Arbitros com-

§. III.

Possitne Vasallus super feudo in Arbitros compromittere?

36 **A**dmittunt compromissum Vultejus, Sixtinus, Struv. Synagm. Juris Feudal. cap. 16. rh. 8. Rejiciunt Brunnen. ad l. non distinguimus 32. ff. de recept. num. 9. D. P. König cit. l. n. 8. P. Wiestner d. l. n. 15. saltem si agatur ad alienationem: partim quia omnis alienatio Vasallo prohibita est 2. Feud. tit. 40. & 55. partim quia super feudo iudicare, spectat ad Judices feudales.

37 Ego distinguo, ac referre censeo, sitne in causa feudali iudex Dominus directus, Pares Curie, vel iudex Ordinarius, juxta explica-

promittere possit, vi regula, ante in num. 25. statuta.

Confirmatur. Compromittere, non est alienare: tum quia, qui compromittit, tantum obligat personam, non bona: tum quia compromissum nullibi refertur inter modos alienandi: tum quia per compromissum id duntaxat agitur, ut jus dubium declararetur, & si pateat, jus, super quo controversatur, ad Ecclesiam non pertinere, suo Domino restitatur. Ergo ex eo, quod Prælati non possunt alienare, non ritè concluditur, quod neque compromittere. Sicque cum Speculatore in tit. de Arbitr. §. restat &c. & Tiraquello de jure conub. glossa 3. n. 109. quos citat Gonzalez d. n. 12. docet Redoanus de rebus Ecclesie non alien. cap. 36. per 100.

Nec infringunt assertum motiva contraria; 33 Primum ex cap. cum tempore continet exceptionem, & pertinet ad objectum Arbitrii. Nempe sicut causæ aliæ propter arduitatem suam Arbitrio subtrahæ sunt; sic & exemptionis causa, quam, cum Sedem Apostolicam tangat, præstat iudex Ordinarius & publico, quam private discussioni committitur.

Secundum ex cap. pervenit ideo non urget; 34 quia compromissum in causa decimarum iustificatur, non quod de defectu fuerit in compromittente, sed in ipso compromisso: quoniam, (verba sunt textus) huiusmodi Arbitrium Ecclesia possit impeterum perniciosum existere.

Tertium diluitur ex num. 25. ubi regulam 35 transactione ad compromissum tantum affirmativè, non autem negativè, permittimus: aliàs sequeretur, quod, sicut Prælati neque ex suo arbitrio de rebus immobilibus transigere, sic neque iudicium suscipere valeat.

§. III.

Possitne Vasallus super feudo in Arbitros compromittere?

tionem datam in cap. 4. n. 63. I. & II. casu puto, nullatenus licere, in Arbitros compromittere: ne Judicis, ex providentia Juris feudalis constituti, saltem indirectè iudicandi munere defraudentur.

Et quamvis opponi posset, quod Vasallus 38 super feudo transigere valeat ex tit. 26. §. 5. §. Vasallus de beneficio &c. tit. 43. Feud. 2. adeoque & compromittere ex n. 25. ritè tamen responderetur, defectum compromittendi non tam ex parte Vasalli tenere, quam ex parte objecti, seu feudis; de quo iudicare, nemini

quam Domino directo & Paribus Curie concessum invenitur, per textum mox citandum, qui est solum casu mentionem Arbitri faciunt, quod iudicatura spectat ad iudicem Ordinarium.

39 III. casu indistinctè teneo, compromissum valere: sicut enim in causis aliis, ad iudicem

Ordinarium spectantibus, valet regulariter compromissum; ita etiam in ista causa, utpote quæ potius allodialis, quam feudalis est nominanda. Sicque expendi, & exponi debent textus in tit. 15. tit. 34. in princ. tit. 45. in pr. Feud. 2. Bocerus apud Lauterbach ad cit. tit. ff. §. 17.

SECTIO III.

De Personis, Arbitrium recipiendis, seu Arbitris.

SUMMARI A.

40. Arbitros agere possunt, qui Judices. 41. Nemo ad Arbitrium recipiendum cogitur. 42. Possunt plures recipi. 43. In pari & impari numero. 44. & seqq. Variæ opiniones referuntur de iudice, ad quem cateroquin causa discutienda pertinet. 47. Eligitur opinio, simpliciter affirmans, quod ille possit Arbitrum agere. 48. Declaratur. 49. & 50. Explicatur l. 9. §. 2. ff. de Receptis &c. 51. Laici possunt in Clericos compromittere. 52. Et si frequenter non expectat. 53. & seqq. Clerici non possunt in Lai-

cos compromittere, si causa sit spiritualis. 57. Propter indecentiam. 58. Non propter defectum Jurisdictionis. 59. & seq. 9. ad c. 7. de Confirm. utili &c. 61. & seqq. Possunt tamen unâ cum Clericis Arbitros agere. 64. & seq. Si consentiat iudex Ecclesiasticus. 65. & seq. In causa temporali Clericorum non veniatur arbitrari. 71. & seqq. Potest in excommunicatum compromitti valide. 76. & seqq. Arbitr non potest alium substituere. 80. & seq. Præponitur, & solvitur objectis.

§. I.

Quis Arbitr esse possit?

40 **A**rbitrium recipere, & Arbitros agere possunt, qui Judices. Zoëli ad ff. d. l. num. 29. Frankius c. l. n. 13. & 14. Miller ad Struv. d. exer. rh. 99. col. 1. Colligitur ex textibus in l. Labeo 3. §. ult. l. 4. §. 6. 7. 9. ff. de Recept. qui Arbitr. Et Ratio est: quia Arbitria in omnibus ferè imitantur, & æmulantur iudicia: & ideo, qui iudex esse vel non esse potest, esse vel non esse potest Arbitr. Revidenda ergo sunt dicta in cap. 2. n. 12.

41 In eo tamen magna est differentia inter iudicem & Arbitrum, quod aliquis ad officium iudicis, non item ad munus Arbitri, compelli possit d. l. Labeo 3. §. 1. l. pen. §. 2. ff. de Vacat. & excusat. numer. Ratio differentie est: quia iudicare munus publicum est l. quippe 78. ff. de Jud. arbitrari munus privatum.

An autem unus vel plures Arbitri; in numero pari vel impari, alium sunt, nihil interest: etsi consultius iudicetur, in non pari, sed impari numero assumantur, ut, si differentiam, majoritas votorum haberi possit, cap. sancti 1. de Arbitr. l. item si 17. §. 6. ff. de Recept. qui Arbitr. &c.

Si tamen in numero pari constituantur, 43 & illi inter se dissentiant, debent eligere tertium; & si neque convenire possint in eligendo tertio, uti etiam, si tertius illi ita ab initio facti compromissi Arbitrorum voluntati sit relictus, res sine effectu est d. l. item si §. 6. & 5. cap. innotuit 12. de Arbitr. Gonzalez ad cit. cap. sanè num. 17. & seqq. Stryck, in usu mod. pand. ad cit. tit. §. 9.

§. II.

Possitne iudex Ordinarius vel Delegatus esse Arbitr in causa, ad summorum pertinente?

44 **V**ariæ hic opiniones occurrunt. I. enim aliqui absolutè id negant propter textum in l. sed si 9. §. 2. ff. de Recept. qui Arbitr. ibi: si quis iudex sit, Arbitrium recipere ejus rei, de qua iudex est, in se compromitti jubere, prohibetur Legè Julii; & si sententiam dixerit, non est danda poena per seculum.

45 Alii II. absolutè affirmant cum Bachovio & Stryckio cit. tit. §. 4. & 5. quorum ratio est: quia, ex quo omnia iudicia sunt absoluta, partesque pro libitu à iudicio penitus recedere possunt §. ult. Inst. de Perpet. & temporal. act. nulla apparet ratio, quod minus, ad evitandas processuum ambages, simplici Magistratus Arbitrio se submittere possint.

Multi III. cum Haunoldo tom. 5. tract. 1. n. 46 194. P. Wiestner ad tit. de Arbitr. sub num. 28. distinguunt inter Jus Civile & Canonicum; ac illò quidem non posse in iudicem Ordinarium compromitti, asserunt, ob cit. l. sed si 9. §. 2. hoc autem posse, per textum in cap. ex parte 10. cap. cum à nobis 13. d. r. junctò cap. cum olim 7. eod. ubi in iudicibus Delegatis in causa, per delegationem ipsis commissâ, fuit compromissum.

Secundam sententiam, ut eligam, vel maxime suadet tum allegata ratio: tum expressæ sanctiones Canonicae in cit. textibus, à quibus, citra necessitatem, Jus Civile non præsumitur recedere: tum hodierna praxis, quæ

ejusmodi compromissa, uti frequentissima, ita licita esse, testantur David Mevius 1. de off. 98. Brunnem. ad cit. l. n. 2. Lauterbach d. l. th. 21. n. 5. tum Reffusus Imperii de anno 1594. §. als auch der Compromiss halben 65. quod in ipsam Imperii Cameram compromitti posse, permittitur, sicut & per sepe compromittitur, ut scribit Klockius Relat. Cameral. 72. n. 146. Blumius Proc. Cam. tit. 38. num. 2. Stryck cit. §. 5.

48 Erit autem simile compromissum in eo quidem cum aliis Arbitriis conforme, quod Judex Ordinarius, vel Delegatus, in Arbitrum electus, secundum formam compromissi teneatur procedere: erit tamen in hoc difforme, quod sententia sit majoris autoritatis, quam simplicis Arbitri; pariat actionem & exceptionem rei judicate; ac locum faciat appellationi. Klock. Relat. Cameral. 131. n. 3.

Brunnem. d. l. n. 2. Lauterb. cit. th. 21. num. 6. Stryck cit. §. 5.

Ne vero citata sed §. 9. §. 2. ff. de Recept. 49 qui Arbitr. obmurmurare videatur, responderi potest, vel quod tantummodo prohibeatur, ne Judex se offerat, aut jubeat in se compromitti, per verba cit. l. in re se compromitti jubere prohibetur: quia sic jubendo cogeret partes ad standum septentia, & dimittendum beneficium appellatoris: Vel quod loquatur non de Judge Jurisdictionis, sed Notionis, seu Pedanco, qui, cum liberam potestatem non habeat, sed restrictam ad formulam, non poterat Arbitrum recipere: quod secus erat de Magistratu, cui, liberiorum procedendi facultatem habenti, nec certae formulæ alligato, licebat Judicium in Arbitrium convertere l. Labeo 3. §. ult. l. nam magistratus 4. ff. de Receptis &c.

§. III.

Positne Laicus esse Arbitr in causa Clerici vel spirituali?

51 Quid Laici possint in Clericum compromittere, (imò & docente Zoëlis ad ff. d. r. n. 16. in Religiosum; supposita nempe Superioris licentia) neminem legi, qui inficietur. Ratio datur: quia litigantes componere, est negotium, à professione Ecclesiasticorum non adeo alienum. Etsi sine dubio statui Clericorum non usque adeo sit concedens, ut forensium causarum disceptationi frequenter se immisceant, nisi aliunde Jurisdictionem temporalem habere noscantur: tunc enim non major est indecentia, de causis profanis judicare, quam arbitrari.

53 An autem e contra Clerici (idem est de quibuscunque personis Ecclesiasticis, vel etiam Ecclesiarum Administratoribus) possint in Laicos compromittere, ad eorum causas, tum spirituales, tum profanas, disceptandas? Vel ideò dubitare licet: quia Arbitri non Jurisdictionem, sed notionem exercent per l. dit Prator §. in pr. ff. de Re judic. notio vero circa res, seu spirituales vel temporales Clericorum, æquè Laicis videtur concessa, ac illis concessum est, agere procuratores vel assessores cap. status n. 11. §. assessores de Rescript. in 6. cap. non indifferet 1. in pr. de Procurat. eod. in 6.

54 Hoc dubium enodaturus, distinctionem inordinis facio: utrum causa sit temporalis vel spiritualis; & si spiritualis sit, ulteriorem distinctionem adhibeo: utrum Laicus sit solus Arbitr, vel cum Clerico in Arbitrio concurrat? Ac

55 Dico I. Quando causa Clericorum est spiritualis, nequit in Laicum, ut solus Arbitrum suscipiat, compromitti. Textus expressus in cap. contingit §. de Arbitr. ubi Expofitores copiosissime à Gonzalez n. 1. allegantur. Ratio ibidem datur: quia non decet, ut Laicus in talibus arbitretur. Sicut enim indecens est, ut Laici tractent spiritualia negotia tanquam Judices cap. decernimus 2. de Judic. ita & incon-

veniens est, ut tractent tanquam Arbitri, dum Arbitria propinquam valde cognationem cum Judiciis habent.

Non ergo offendiculum parat dubitandi ratio. Nam defectus Jurisdictionis neutriquam impedimento est, quò minus Laicus in re spirituali recipiat Arbitrium; sed potius indecentia, ne Jurisdictionem vel potestatem autoritativam per Arbitrium circa rem spirituales arrogare sibi videatur. Gonzalez ad cit. cap. n. 5. Quæ indecentia neque in 7 procuratore, neque in assessore reperitur: cum isti non disponant cum autoritate, sed ministerium verius præsent.

Nec formidandum est cap. examinata 7. de 58 Confirmat. util. vel inutil. ubi refertur facti species, in qua super jure patronatus, inter aliquem Nobilem & Militem Campaniæ S. Joannis Hierosolymitani controverso, in Vice-Dominum Sabinensem compromissum erat. Ut enim familiari sibi eruditione memoria 9 prodidit commendatus Gonzalez d. l. n. 7. ille Vice-Dominus non erat Laicus, sed Clericus, in Diaconatu constitutus, vices Episcopi gerens, & ab eo causis Ecclesiasticis tractandis præpositus.

Dico II. Quando causa Clericorum est spiritualis, potest in Laicum simul & Clericum compromitti, dummodò autoritas Judicis Ecclesiastici accedat. Textus in cap. per tuas 9. de Arbitr. in fin. & ibi Barbosa n. 3. Covarr. Practicar. question. cap. 34. n. 1. Gonzalez cit. l. num. 6. P. König cit. tit. n. 11. Schambogen ad d. tit. n. 13. Reiffenstuel eod. tit. num. 44. Ratio est: quia magis dignum trahit ad se 61 minus dignum: quodve inconveniens est, si Laicus solus arbitretur, definit esse tale, si unum cum Clerico arbitretur: sicut si Laicus sit assessor in causa spirituali, dum Clericus est Judex.

Dices: quando in servum & hominem liberum compromittitur, compromissum non valet

Valet l. Pedius 7. §. 1. ff. de Recept. qui Arbitr. Ergo nec valet, quando in Clericum & Laicum compromittitur.

63 Resp. negandò consequentiam & paritatem. Disparitas est: quia servus actum & munus civilem, quale etiam est Arbitrium, planè incapax censetur; ideòque ne quidem ex consorcio hominis liberi capax effici potest. At Laicus non tam incapax est Arbitrii, de causa spirituali recipiendi, quam minus dispositus: quippe cum, teste Gonzalez, ante Concilium Lateranense, in cit. cap. contingit §. relatum, rectè fuerit in Arbitrum electus, & ex aliqua indecentia, primum post illud Concilium repulsus: quæ tamen indecentia cessat, si Clericus Laico conjungatur.

64 Dixi supra: dummodò autoritas Judicis Ecclesiastici accedat. Ubi tamen non omnino convenit inter Canonistas: debeatne S. Pontifex, ejus Legatus, aut Episcopus in tale compromissum consentire? Consensu siquidem Episcopi videtur esse contenti Covarruvias d. n. 1. P. Wiestner ad cit. tit. n. 22. Schambogen d. num. 13. P. Reiffenstuel d. l. num. 44.

Consensum verò Pontificis, aut ejus Legati, requirit Gonzalez & P. König in loc. allegat. Quibus etiam accedit textus in cit. cap. per tuas in fin. ibi: cum auctoritate Episcopi factum sit, cui causa, de qua dicitur compromissum, fuerat delegata.

66 Dico III. Quando causa Clericorum est

temporalis, potest in solum Laicum compromitti. Abbas in cap. dilecti 4. de Arbitr. n. 8. Vallenf. eod. tit. §. 3. n. 3. Haunold. cit. tract. num. 196. Wiestner cit. l. n. 21. Reiffenstuel d. l. num. 45. D. Fleck in Biblioth. lib. 5. tit. 17. num. 6. Traditur assertio in cit. cap. dilecti 4. ubi Arbitrium, quod in causa temporalis, quæ vertebatur inter Abbatem & Conventum de Scarduna Cisterciensis Ordinis ex una, ac Hospitalarios ex altera parte, à Regina Francorum erat susceptum, ab Innocentio III. comprobatur.

Desumitur præterea per ar. 67 gumentum à contrario sensu ex cit. cap. contingit §. 8. quòd scilicet, cum sola spiritualis causa fuerit ibidem excepta, temporalis adhuc permittitur censetur. Roboratur etiam 68 ratione: quia deficit illa indecentia, ratione eujus Laici nequeunt Arbitros agere in causa spirituali: cum nulla sit inconvenientia, ut de rebus temporalibus Judicium vel Arbitrium exercentur.

Oppones: Clericus non potest in causa 69 temporali in se prorogare Jurisdictionem Laici cap. significasti 18. de Foro compet. Ergo nec compromittere in Laicum.

Resp. negandò consequentiam cum assignatione discriminis. In prorogatione usurpatur Jurisdictio in Clericum à Laico, cum tamen absolute Clericus à Laicorum Jurisdictione sit exemptus ut dicitur loco: in compromisso nulla Jurisdictio, sed nuda notio & cognitio privata in Clericum exercetur.

§. IV.

Positne in excommunicatum compromitti?

71 Crupulum hic movere potest cap. ad probandum 24. de Sent. & re judic. ubi sententia judicialis cassari jubetur, quando sit lata à pluribus Delegatis Judicibus, quorum unus excommunicationis vinculo publicè erat irretitus. Ex quo consectaneum videtur, & laudum seu sententiam, totumque processum, ab Arbitrio institutum, cassandum, quando is excommunicatione vinculatus est.

72 Ratio sequela est: quia Arbitr excommunicatus æquè prohibetur communicare cum non-excommunicatis in ferendo laudo, quam Judex inferenda sententia. Sicut ergo sententia judicialis, sic & laudum, ab excommunicato prolatum, valore carebit.

73 Sed spernendus iste scrupulus. Cum enim acta reliqua ab excommunicatis tanquam valida subsistant, uti constat de contractibus, testamentis, præscriptionibus, procuratoribus &c. cur acta excommunicati, in Arbitrum assumpti, non valeant? Tralaticium siquidem est, excommunicatum solummodo

privari participatione jurium spiritualium, quale non est Arbitrium.

Ad cap. ad probandum 24. de Sent. & re jud. 74 Resp. illud loqui de Judicibus, Jurisdictione (Delegatà scilicet) præditis, quæ, cum privet excommunicatio per cap. Romana 1. de Offic. Vicar. in 6. & cap. un. Ne sede vac. eod. in 6. facit pariter, ut sententia nulliter feratur. Nos autem questionem ponimus de Judicibus compromissariis, nulla Jurisdictione præditis, quibus eapropter non nocet excommunicatio: quia secundum dicta non privat usu rerum temporalium, inter quas numeratur facultas arbitrandi.

Ad superannexam rationem Resp. ex communicatione cum non-excommunicato sententiam & acta excommunicati non tam invalida, quam illicita fieri; defectum verò valoris ex defectu Jurisdictionis pullulavere. Unde sententia & acta coram Arbitro excommunicato illicita, sed non erunt invalida.

§. V.

Positne Arbitr Compromissarius alium substituire?

76 Resp. negativè. Textus in l. non distinguimus 32. §. 16. ff. de Recept. qui Arbitr. ubi

Brunnem. num. 15. Reiffenstuel cit. l. sub n. 57. Ratio est I. quia Judex compromissarius habet

bet strictissimam potestatem; nec plus illi concessum, quam expressum est. Nisi ergo expressum sit, quod ipsi liceat, alium substituire, substitutionem facere non poterit. II. quia, dum industria personæ eligitur, non valet substitutio per cap. si pro 3. cap. ult. §. is verò de Offic. deleg. Sed in Arbitro censetur industria personæ electa L. Labes 3. §. I. Verum quoniam & c. ff. de r. Rota Rom. in rec. p. 13. 77 dec. 429. n. 21. Ergo &c. III. quia nec Judex Delegatus potest Jurisdictionem alteri delegare, nisi delegatus sit à Summo Principe ex dictis de Jurisdic. cap. 7. à n. 33. Ergo nec Arbitr: sicut enim ille, sic iste na-

ctus est potestatem, ut ipse judicet, non ut alteri munus judicandi consignet. IV. quia 79 ceteroquin res nullum habet exitum, sed processus in infinitum extendetur.

Obijcies: potest procurator alium substituire cap. non indiscreit 1. §. ult. de Procurat. in 6. Ergo & Arbitr alium Arbitrum.

Resp. distinguendò antec. procurator potest alium substituire, quando est electa personæ industria, neg. ant. per cap. ult. d. i. in 6. quando non est electa personæ industria, conced. ant. Atqui in arbitro præsumitur electa personæ industria ex num. 77. Ergo &c.

SECTIO IV.

De Objecto Arbitrii.

SUMMARIA.

82. Indigitatur objectum Arbitrii. 83. Quod non constituit causam exemptionis. 84. Matrimonialis. 85. Criminalis. 86. Criminaliter intentata. 87. Liberalis. 88. Jam decisam per sententiam, qua transit in rem judicatum. 89. Causa restitutionis incidenter ab Arbitro potest cognosci de Jure Canonico. 90. Assignatur ratio. 91. De Jure Civili quidam aliter statutum existimant. 92. Sed falluntur. 93.

Reconventio non potest institui coram Arbitro. 94. & 95. Assignatur duplex ratio. 96. & seqq. Ponuntur objecta. 100. & seqq. Comprimitur. 104. Arbitr potest de illis cognoscere, que habent intrinsecam quasi-connexionem cum causa principali. 105. Felus de exemptionibus. 106. De interesse. 107. De fructibus. 108. De expensis.

§. I.

In quibus Causis Arbitrium admittitur?

82. Objectum Arbitrii sunt causæ, & omnes quidem, quas ob gravitatem, periculum, aut præjudicium non speciatim ab Arbitro exemerunt Jura per cap. causa 9. de in integr. Restit. & ibi DD.

83. Inter causas exemptas numeratur I. causa exemptionis: in hac enim, cum versetur inter esse Romani Pontificis, quatenus loca exempta immediate ad eus Jurisdictionem & protectionem spectant cap. cum venissent 2. d. i. cap. recepimus 8. de Privileg. cap. si Papa 10. §. si autem eod. in 6. inconveniens videbatur, alium Judicem constitui posse, quam ipsummet Pontificem, aut quem ille constitui permiserit. Textus in cap. cum tempore 5. de Arbitr. ubi Vivianus, Wagnereck in exegefi, Barbosa in collectan. n. 4. Gonzalez in comment. n. 11.

84. II. causa matrimonialis d. cap. causa 9. de in integr. Restit. ubi Gonzalez n. 2. Nam & hic grande præjudicium intercurrit, ratione vinculi scilicet, quod nec solvere convenit, nisi, ubi matrimonium legitime contractum non invenitur; nec colligare, præterquam si matrimonium legitime contractum sciat; nec à quibuscunque Judicibus, sed specialiter à SS. Canonibus deputatis juxta cap. 4. à n. 24. Covarruv. de matrimon. p. 2. cap. ult. num. 6. Gutierrez Q. Q. Canonice. lib. I. cap. 17. num. 18.

85. III. causa criminalis, criminaliter intentata d. cap. causa & ibi Gonzalez num. 4. I. non distin-

guemus 32. §. Julianus 6. ff. de Receptis & c. uti & causa popularis d. l. §. 7. Quia enim de criminibus cognoscere, nemini quam Magistratus majoribus; neque ex officio, sed speciali concessione duntaxat erat permissum: certè non admittebat ratio, ut Arbitri, ceu homines privati, cognoscere. Dixi: 86. criminaliter intentata. Quia, si civiliter intentetur, sicut libere transigere, ita & compromittere concessum est per cap. veniens 16. de Jurejur. absque eo, quòd damnatus ex tali crimine, quantumvis famosò, infamiam incurrat l. quid ergo 13. §. 5. ff. de his qui not. infam. Panormit. in cit. cap. causa n. 4. Gonzalez d. n. 4. Haunold. d. r. n. 199.

IV. causa liberalis, in qua de statu libertatis principaliter agitur: hæc quippe Arbitrio subducta in cit. cap. causa & ibi Gonzal. num. 3. & cit. I. non distinguemus §. 7. ac propriis Judicibus subiecta est l. ult. Cod. Ubi causa status & c. Dixi principaliter. Quin enim incidenter coram Arbitris possit disceptari, dubium omnè succidit textus in l. cum proponas 6. Cod. de R. C.

V. causa, per sententiam, qua transit in rem judicatum, semel decisam cap. exposita 11. de Arbitr. Gonzal. ib. n. 6. Pirhing ad eund. r. num. 31. partim quia permagni refert, lites, semel decisas, quòcunque modò non resuscitari l. si causa 32. Cod. de Transact. l. si quis 1. Cod. de R. C. in fin. partim quia pertinet ad Judicem,

dicem, qui tulit sententiam, dubia, si forte quædam postmodum emergant, resolvere cap. in-

ter alia 31. §. ut igitur de Sent. excommunicat. l. ult. §. 1. Cod. de LL.

§. II.

Possitne Arbitr causam restitutionis in integrum disceptare?

89. Qui textum in cit. cap. causa 9. de in integr. Restit. vel emissit oculis considerat, statim advertet, distinctionem utendum, ac dicendum, causam restitutionis ab arbitro principaliter disceptari non posse, veluti si minor aut Ecclesia eò solùm ex fine in Arbitrum compromitterent, ut præcedens læsio corrigatur; posse autem incidenter, ut si, durante Arbitrio, moveretur restitutio ob terminum dilatorum, aut fatalia elapsa; vel contra actorem, agentem ex contractu, exceptio restitutionis opponeretur. Cujus ratio esse potest: quia & restitutio est una ex causis majoribus; & si tantum incidenter moveatur, nihilominus inferioris Judicis cognitionem effugere posse non videtur per dicta in cap. 6. num. 13.

91. Si tamen ad Jus Civile progrediamur, ac textum in l. ult. Cod. Ubi & apud quem attentius intueamur, omnis cognitio Arbitris de restitutione videtur adempta: ibi: sed ne quis ita effusè intellectum nostræ constitutionis audeat esse arandum, ut etiam apud compromissarios Judices,

vel Arbitros ex communi sententia electos, vel apud eos, qui dantur à Judicibus, qui propriam Jurisdictionem non habent, sed tantummodo judicandi facultatem, patet hujusmodi extendi sanctionem: hos tantum generaliter volumus, tales causas (subintelligit restitutionis) dividere, qui vel certa administrationi, cui & Jurisdictioni adheret, prepositi sunt, vel ab his fuerint dati &c. Ita cum aliis Treutlerus, à Millero ad Struv. exercit. 8. lib. 4. col. 2. allegatus.

Nihilominus quia temerè discrimen inter Jus Pontificium & Cæsareum adstrui non debet; ac distinctio inter causam principalem & incidentem non tantum in Jure Pontificio clarè expressa, sed etiam in Jure Cæsareo satis luculenter recepta in cit. l. ult. in verb. final. vel in aliis speciebus incidit quæstio restitutionis; & insuper allegata ratio de quæstione incidente in utroque Jure per textum in d. cap. 6. n. 13. citatos fundata est: intrepidè concludendum Judico, restitutionem coram Arbitro, etiam Civili Jure, incidenter moveri posse. Brunnem. ad cit. l. ult. n. 1. Lauterbach ad tit. ff. de Recept. §. 30.

§. III.

Possitne coram Arbitro reconventio institui?

93. Negativa decidit Pontifex in cap. cum dilectus 6. de Arbitris; eique concordat textus in l. Pomponius 13. §. 1. ff. de Recept. ubi Ulpianus, licet enim, ait, & de una compromittere, & quidem de solis controversiis actoris, ut innuunt verba præcedentia. Sequuntur Pontificem & JCtum innumero ferè numero Interpretes, apud Gonzalez ad cit. cap. num. 2. relati.

94. Ratio est: tum quia Arbitri judicare non valent, nisi de iis tantum, super quibus in eos extiterit compromissum, ut sonat textus in cit. cap. & consonant textus in l. quid tamen 21. §. 6. l. non distinguemus 32. §. 15. & ult. l. de his rebus 46. l. Arbitr 50. ff. de Recept. ubi Arbitrium & c. atqui de reconventionem nihil actum supponitur: tum quia Arbitria, dum recedunt à Jure, Judice, & Judici Ordinario, stricti juris censentur, nec interpretatione juvantur, sed coarctantur: adeoque non aliæ causæ, quam specificè nominatè in compromisso comprehenduntur.

96. Contra hanc decisionem objici potest I. quòd & Judices Delegati, quorum aliàs stricta potestas est cap. Rodolphus 35. cap. significavit 36. de Rescript. possint causam reconventionis cognoscere cap. ex literis 1. de Matus petitionibus.

97. II. quòd æquitas introductæ reconventio onis militet etiam in Arbitrio, ut actor, qui Arbitrum in sua causa elegit, ipsum contra se agnoscere non dedignetur arg. l. non potest 23. ff. de Judic. & l. cum Papinianus 14. Cod. de Sentent. & interlocut. III. quòd Arbitr possit cognoscere de iis, que connexa sunt cum causa prin-

cipali: causa autem reconventionis est connexa cum causa conventionis arg. cit. l. non potest, & c. & l. cum Papinianus & c. IV. quòd ad modum luculenter in cit. l. non distinguemus §. 9. admittitur reconventio in Legato, qui tempore Legationis in Arbitrum compromissit: dicitur enim, Arbitrum posse cogi ad sententiam dicendam, postquam Legatus suas actiones intentavit, sed non aliàs, quam si (Legatus) se defendat, hoc est, reconventus respondet.

Ad objectiones istas diluendas §. I. paritatem inter Delegatum Judicem & Arbitrum in num. 96. claudicare. Delegatus siquidem accipit suam potestatem ab autoritate publicâ, potestque quoad causam delegatam idipsum ferè, quod Judex delegans: hic autem reconventionem admittere potest: adeoque & ille. Arbitr e contra consequitur potestatem suam ex autoritate privatorum, nec majorem, quam expressa fuerit in compromisso. Cum itaque nihil de reconventionem fuerit expressum in compromisso, frustra de causâ reconventionis Arbitr cognoscit.

Resp. II. æquitatem, que reconventionem in Judicio juxta n. 97. advenit, non apparere in Arbitrio: reus siquidem ad Judicium trahitur, invitus & nolens; nec ille, sed actor Judicem eligit: ad Arbitrium verò reus non trahitur, sed sponte venit & consentit; nec minus quam actor Arbitrium eligit. Ergo reus

reus in Judicio jure æquissimo reconvenit. actorem coram eodem Judice, ad quem renitens rapitur; non ita in Arbitrio, in quo tempore compromissi voluit reus ipsemet Arbitrum habere contra se.

102 Resp. III. Arbitro (ut objicitur in n. 98.) facultatem esse, cognoscendi de iis, quæ quasi ab intrinseco sunt connexa, non autem, quæ ab extrinseco. Jam verò causa conventionis ab extrinseco tantum est connexa cum reconventionis, puta, ex arbitraria dispositione

Juris positivi. Ergo, quòd Arbitrer de una possit cognoscere, non sequitur, quòd cognoscere possit de altera.

Resp. IV. genuinum intellectum *cit. l. non distinguenus §. 9. in n. 99.* allegata, esse hunc: Legatus, postquam actiones suas proposuit, postulare valet; ut Arbitrer sententiam dicat, si paratus sit, se defendere, non coram Arbitro, coram quo reconventio non habet locum, sed coram Ordinario Judice. Confer Gonzalez *cit. l. n. 7.*

§. IV.

Possune Arbitrer de sola causa principali cognoscere?

- 104 Incidenter in n. 102. indicatum est, Arbitro facultatem consistere de iis etiam cognoscendi, quæ intrinseco quasi-connexionem cum causa principali habent; veluti sententia Rota Roman. in *rec. p. 8. dec. 59. n. 15.* Hoc itaque patenter explicandum, &
- 105 Declarandum est I. ut Arbitrer cognoscere possit de exceptionibus tam dilatoriis quam peremptoriis: hæc namque cum causa principali connexæ sunt, quatenus ad defensionem excipientis, & elidendam intentionem agentis, ab intrinseco ordinantur. *arg. l. quosies 3. Cod. de Judic. l. adite 1. Cod. de Ord. Judicior.*
- 106 Declarandum est II. ut Arbitrer possit cognoscere super interesse tum actoris, tum rei, licet nihil in compromisso sit expressum *d. l. non distinguenus 32. §. 5. ff. de Receptis & c.* Nam interesse tacite inest ipsi rei per textum in *l. si servus 11. ff. Judicatum solvi.*
- 107 Declarandum est III. ut Arbitrer possit co-

gnoscere de fructibus *arg. l. qualem 19. §. 1. ff. de Receptis & c.* cum enim fructus constituant partem rei, eandem augeant, & cum illa sic connectantur; ut, si per errorem fuerit de re pronuntiatum, debeat quoque de fructibus pronuntiare *l. & ex diverso 35. §. 1. ff. de R. P. sanè per quam rectè faciet Arbitrer, de re una cum fructibus cognoscendò.*

Declarandum est IV. ut Arbitrer possit cognoscere de expensis & sumptibus litis *d. l. non distinguenus §. 5.* Habent enim verò etiam impense litis cum causa litigiosa connexionem tam necessariam, ut in alio auditorio non posset de impensis rectè cognosci; nisi & ipsa causa principalis denuò cognitioni subiceretur. Videantur Abbas in *cap. cum dilectus 6. de Arbitr. n. 10. & seqq. Gonzalez ibid. num. 4. Reiffenstuel ibid. à num. 64. Fleck l. cit. n. 17. Miller ad Struv. *cit. excus. 8. lib. 102. pag. 499. & seqq.**

SECTIO V.

De Forma Arbitrii.

SUMMARIA.

109. Forma Arbitrii est eadem ferè, que Judicii. 110. Unde idem modus est procedendi. 111. Nisi partes aliud expresserint. 112. & seq. Dne formule compromissi. 114. & seqq. Designatur locus formandi processus Arbitralis. 117. Extra quem partes citari non possunt.

118. Nisi ad parvulam distantiam. 119. & seq. Possunt tamen partes alibi existentes illuc citari. 121. & seqq. Arbitrer teneatur observare dies feriatos. 124. Nec potest feriatos alios, quam profanos & ordinarios renuntiare.

§. I.

Quenam forma sit in Arbitrio servanda?

109 Forma, in Arbitrio servanda, est eadem ferè, que in Judicio *arg. sæpe memoratæ l. compromissum 1. & l. Labeo 3. §. 1. ibi: post causam jam semel atque iterum tractatam ff. de Receptis qui Arbitr. l. rem non novam 14. in pr. ibi: quod Judicium imitatur & c. Cod. de Judic. cap. ex parte 10. de Arbitr.* Unde idem ordo in cognoscendo tenendus, quem in *cap. 6. præscriptum*; idemque modus in procedendo amplectendus, quem in *tratt. seqq. de Processu Judicario* describemus. Rota Rom. in *rec. p. 8. dec. 25. n. 1.*

110 Nempe solet in primis ab actore porrigi libellus; deinde reus ab Arbitro per nuntium

vel epistolam citari; his utrinque contestari; præstari juramentum calumniæ; admitti procuratores & Advocati; allegari probationes & exceptiones; in causa concludi; ferri denique sententia, prout deducitur ex *l. quid tamen 21. §. 7. & seqq. l. ita demum 31. l. non distinguenus 32. §. 18. l. sed §. 49. §. 1. ff. de Receptis, qui Arbitr. d. l. rem non novam 14. in pr. d. cap. ex parte 10. de Arbitr. Lauterbach in *tratt. synopt. lib. 24. per tot. & adrit. cit. ff. §. 34. & seqq.**

Quæ tamenita sunt, si partes nihil aliud in compromisso expresserint. Solent namque & possunt compromittentes formam, in Arbitrali processu servandam, præscribere, juxta textum

textus in *cit. l. non distinguenus §. 15. & ult. Rota Rom. in rec. p. 1. dec. 515. n. 1. & p. 4. p. 2. dec. 132. n. 5. præsertim, si compromittant in 112 Judicem Ordinarium.* E. g. per sæpe solent ita compromittere, se binis scriptis, intra certum temporis spatium Judici oblati, mox causam ad sententiam submittere velle, doli sunt *zwey abgewechselten Schrifften von 14. Tagen zu 14. Tagen in der Sache erfahren, und nachmahls ohne einige Dilation zum Urtheil submittieren wollen.* Stryck. *ad cit. tit. §. 6.* Si-

militer non infrequens est iste compromittendi modus, ut Acta coram Arbitro transmittantur ad duo Collegia Juridica, quæ, si eodem calculo responderint, de iis illa servari debeat, omni appellatione vel reductione remota; sin autem in diversis sententias transmississent, ad tertium Collegium acta remittantur sine prioribus Responsis, & quidquid ab hoc pronuntiatum fuerit, pro Lege recipiatur. Stryck. *d. l. Alium compromittendi modum exhibet Brunn. ad l. pen. ff. d. t. n. 2.*

§. II.

Quò loco teneatur Arbitrer procedere?

114 Dispicendum hic: si sine locus aliquis à compromittentibus determinatus; an nullus? Si primum; statuer conventioni *l. quid tamen 21. §. 10. ff. d. t.* Si secundum; in illo loco procedendum erit, in quo compromissum est initum *d. l. §. 10. §. quid erit 116 go & c.* Ratio assignari potest: quia locus conventionis in ita alias vim habet, fundandi giudiciale forum *ex cap. 3. an. 98.* Ideoque concedens videbatur, ut locus initi compromissi, quod species conventionis est, pro foro processus Arbitralis haberetur.

117 Quid ergo, inquit, si Arbitrer partes ad alium locum citaverit, an tenebuntur se sistere?

Resp. negativè. Textus in *cit. l. §. 10. ibi: impune igitur etiam paraverit, si alio loci adesse jusserit.*

118 ferit. Si tamen locus ille non procul a loco formandi processus distaret, sicut, si Arbitrer, in dignitate constitutus, qui deberet in

urbe judicare, vocaret partes ad suburbium, ubi animi recreandi gratia moratur, & litigatores facile eò loci venire possunt, valere jussum, Pegasus admittit, & confirmat Ulpianus in *d. l. §. 10. §. quid tamen & c. Brunnem. ib. n. 17.*

Quid verò, instas quærere, si partes in alieno sint territorio, poteruntne nihilominus ad locum Arbitrii formandi citari? Ratio quærendi est: quia extra territorium seu citanti, seu jus aliud dicenti, impunè non paretur *l. ult. ff. de Jurisdic. cap. ult. de Constitut. in 6.*

Resp. affirmativè. Colligitur responsio ex *120 cit. l. & c.* Ratio est: quia citatio, quam decernit Arbitrer, non provenit ex virtute Jurisdictionis, quæ Arbitrer ut talis non pollet; sed ex virtute conventionis, quæ, cum jus proprietatis producat, ubivis terrarum personam obstringit. Unde opposita quærendi & dubitandi ratio non solida, sed soluta jam est.

§. III.

Quò tempore Arbitrer debeat arbitrari?

121 Videtur ex dictis concludendum, arbitrari nullo tempore prohibeum: cum enim Arbitrer, veluti statim diximus, non exerceat Jurisdictionem; solumque actus Jurisdictionis *ex cap. 5. n. 43.* die feriatò sint prohibiti: ratio non suppetit, quæ actus Arbitri seu veritos seu in validos efficiat.

122 Verum aperte definitum legitur in *l. Pomponius 12. §. 3. l. si feriatos 36. ff. de Recept. qui Arbitr. l. omnes dies 7. l. ult. Cod. de Fer. quòd Arbitrer diebus feriatos nequeat procedere. Lauterbach ad *cit. tit. ff. §. 35. in fin.* Ratio est: quia Arbitrium proximè accedit ad Judicium, veluti jam aliquoties repetitum: indeque diebus feriatos acque Arbitrium, ac Judicium incipere, vel continuare, non licet.*

Opposita ratio non officit. Nam diebus feriatos non tantum actus Jurisdictionales, qui à Judice, Jurisdictionem habente, procedant; sed etiam actus Judiciales in specie tales, qui à Judice, Notionem tantum habente, expediuntur, reputantur prohibiti *ex cit. cap. 5. num. 7.*

Tametsi autem *ex cit. l. si feriatos 36. ff. d. 124* Recept. deducatur, sententiam ab Arbitro, jussu Prætoris, & partibus volentibus, die feriatò latam, subsistere: bene tamen Brunnem. ad eandem *l. advertit*, eam deductionem de feriatos profanos & ordinarios, in favorem privatorum introductis, admitti debere per ea, quæ in *cit. cap. 5. num. 17.* proposita sunt.

SECTIO VI.

De Effectu Arbitrii.

SUMMARIA.

125. Effectus Arbitrii subiciuntur. 126. Arbitrer obligatur ad continuandum Arbitrium. 127. Servandos limites compromissi. 128. Procedendum sincerè. 129. Habetque potestatem. P. SCHMIDT JURISPR. CANT. CIV. TOM. II.

130. Si plures sint Arbitri, omnes adesse debent, dum sententia dicitur. 131. Excipiuntur duo casus. 132. & seqq. Inducitur, quid in casu discordantium sententiarum.

ventiarum agentium. 138. Compromittentes, si voluntur, comparere debent. 139. Tenentur stare sententia. 140. Habent alionem & exceptionem ex laudo. 141. Alionem scilicet ex stipulatu, si praecerit stipulatio. 142. Vel alionem in factum, si laudem fuerit homologa-

rum. 143. Et jure hodierno ex pacto nudo conditionem ex moribus. 144. Pena soluta, licet a compromisso recedere. 145. Ut proinde firmior a sint compromissa non-penalia. 146. & seqq. Effectus Arbitrii respectu causa compromissaria annotantur.

§. I.

Quid operetur Arbitrium respectu Arbitri?

125 Effectus Arbitrii alii sunt respectu Arbitri; alii respectu compromittentium; alii respectu causa, de qua compromissum est.

126 Effectus respectu Arbitri sunt sequentes. I. obligatur ad causam compromissi non quidem suscipiendam; sed susceptam semel continuandam l. Labeo 3. §. 1. ff. de Recept. potestque ad id, in vitu quoque, nobili Judicis officio, vel multa ditione, vel pignorum capione, vel persona retentione, seu arrestatione, a Praetore seu Magistratu Ordinario compelli l. non distinguemus 32. §. 12. ff. d. 1. Rota Roman. p. 1. dec. 498. n. 2. & seqq. nisi justam exculationis causam praetextat l. licet autem 15. §. 1. ff. ff. eod. Franzkius ad cit. tit. n. 25. & seqq. Lauterbach in cit. tract. synopr. th. 32. n. 1. & 2.

127 II. obligatur, ut intra terminos & limites, in compromisso praefixos, se contineat per textum in l. Pedius 7. §. 1. l. quid tamen. 21. §. 4. & 8. l. Labeo aut 25. in pr. d. l. non distinguemus 32. §. 15. & 17. ff. d. 1. adeo ut, si praescriptum modum & metam exceleserit, sententia sit nulla d. l. §. ult. eaque per 30. annos nullitatis infirmulari possit. Lauterbach d. l. th. 33. num. 1. & seqq.

128 III. obligatur, ut instar Judicis, juste & sincere, remord partium studio, juxta ordinem, in num. 110. delibatur, procedat, ac laudum suum (ita vocatur sententia Arbitralis) secundum Leges, constitutiones, consuetudines loci, in quo procedendum, ac formulam compromissi pronuntiet l. item si 17. §. 3. l. qualem autem 19. in pr. l. quid tamen 21. §. 3. d. l. non distinguemus 32. §. 15. ff. de Recept. &c. Lauterbach cit. l. th. 34. num. 12. & th. 35. num. 1. & seqq.

129 IV. acquirit Arbitr potestatem, non-comparentes & contumaces multa (vel quasi, cum Adversario praestetur) puniendi l. diem 27. §. 4. l. non distinguemus 32. §. 16. l. non ex omnibus 39. in pr. ff. de Receptis &c.

130 Scrutaberis: an, si plures sint Arbitri, omnes sententiam dicere debeant; & quid, si discordes fuerint?

Resp. I. si plures Arbitri sint assumpti, omnes adesse debere eo tempore, quod sententia dicitur; & si vel unus ablit, sententiam, a reliquis unanimiter prolatam, non valere l. item si 17. §. ult. l. siens 18. ff. d. 1. partim quia in plu-

res fuit compromissum; partim quia potuit praesentia ejus, (qui abfuit) irabere eos (qui praesentes sunt) in ejus sententiam, ut inquit Ulpianus in cit. §. ult. Rota Rom. in recent. p. 8. dec. 59. n. 1. & seqq. Exceptis duobus casibus, quorum primus assignatur in non distinguemus 32. §. 13. ff. eod. quando cum hac vel simili clausula compromissum est, ut sub altero absentis, reliquis nihilominus procedere valeant. Alter in cap. ult. de Arbitr. in 6. extat, quando abfens, debet e requisitis, cessante legitimo impedimento, non comparere.

Resp. II. si Arbitri in proferenda sententia discordent, videndum, an saltem major pars concordet, an vero discordet? Priori casu statim est sententia majoris partis d. l. siens 18. cap. si ex tribus v. de Arbitr. in 6. Posteriori casu dispiciendum, an in numero sint pari, vel impari? Si in pari; debent assumere tertium Arbitrum, cujus definitioni acquiescendum est d. l. item 17. §. 6. in fin. Si in numero impari; nullius roboris Arbitrium reputatur l. diem 27. §. 1. ff. d. 1.

Planè si sententia in aliquo saltem concordent, puta si unus in decem, alter in 15, tertius in 20. condemnent, tenet sententia quoad quantitatem minimam: utpote in quam omnes implicite consenserunt d. l. diem 27. §. 3. Ex quo tamen non velim, hanc sequelam inferri, quod etiam tunc sententia pro minore summa praevaleat, quando unus v. g. condemnavit in 10. & duo in 15. vel quando unus condemnavit in 10. secundus in 70. tertius in 100.

Nam in prima hypothesi, ut paulo ante memoratum, non attendimus ad summam minorem, sed ad majorem numerum votorum, cui non tantum in Arbitrio, sed etiam in aliis negotiis, tum judicialibus tum extrajudicialibus, acquiescendum est. In secunda vero sapienter monet P. Engel ad tit. de Arbitr. n. 2. decisionem d. cap. si ex tribus & l. diem §. 3. cautè, ac quom demum in praxin deducendam, quando minor summa versatur intra terminos aequitatis, & is, qui majorem summam pronuntiavit, non potest rationabiliter praesumi invitus esse propter summam minorem, tanquam injustam: cum scire Leges non sit verba callere, sed vim ac mentem Legislatoris, aequitati conformem l. siere Leges 17. ff. de LL.



§. II.

§. II.

Quid operetur Arbitrium respectu compromittentium?

138 Effectus Arbitrii respectu compromittentium sunt I. quod Arbitro vocanti parere teneantur arg. dictionum in num. 129. II. quod obligentur stare sententiae, sive aequa, sive iniqua sit d. l. diem 27. §. 2. l. non distinguemus 32. §. 14. l. ex sententia 1. Cod. de Receptis &c. 140. Vide tamen dicenda infra à n. 193.

III. quod ipsis detur ex sententia, seu laudo, actio & exceptio, non judicati: cum Judicium propter dictum non sit l. ex compromisso 2. ff. eod. sed actio & exceptio in factum, seu ex com-

141 promisso. Franzkius ad d. tit. n. 30. Inerere videlicet, an Arbitrium pacto nudo sit initum, vel stipulatione? Si stipulatione; datur actio ex stipulatu, qua victor, in laudo pronuntiat, agit adversus condemnatum, ut praestet omne, quod ratione laudi praestari aequum est d. l. diem 27. §. ult. ff. de Recept. l. cum

142 antea §. Cod. d. tit. Si pacto nudo; datur quidem exceptio pacti, vel litis finitae, si laudum emanaverit in favorem rei; at, si emanaverit in favorem actoris, de Jure Romano non datur actio, sicut ex aliis pactis nudis actio non oritur: si tamen reus approbaverit, seu, ut alii dicunt, homologaverit laudum,

vel expressè, vel tacite, forte quòd intra 10. dies non reclamaverit, conceditur actio in factum ex novissima constitutione Justiniani in cit. l. cum antea §. in pr.

Dixi de Jure Romano. Cum enim hodie vim eandem habeant pacta nuda, quam habent stipulationes: non licet ambigere, quin etiam ex nudo pacto concedatur efficax actio, ad laudum Arbitrale exequendum. Stryck. ad tit. cit. §. 2.

Interrogabit: an, si poena fuerit adjecta, illa soluta, liceat a compromisso recedere?

Resp. affirmative. Textus in l. si quis rem 30. ff. d. 1. ubi Brunnem. n. 1. & 2. seqq. & Aub. de cernit Cod. eod. Gall. 1. obs. §. 50. n. 13. & 15. Lauterbach ad cit. tit. 4. 39. P. Engel ad tit. de Arbitr. n. 15. P. Reiffenstuel ad tit. de Arbitr. n. 88. Stryck. cit. loc. §. 8. Ex quo colligit idem Stryck. hodie validiora esse compromissa, simplici pacto firmata, quam quae olim sub stipulatione poenali concipiebantur: ab his enim, soluta poena, discedere fas est d. l. si quis rem 30. ab illis vero nemo resillire poterit; & si recurat ad Judicem, exceptione compromissi repellitur.

§. III.

Quid operetur Arbitrium respectu causa?

146 Effectus Arbitrii respectu causa, in qua compromissum, primus est, quod illi finis imponatur per l. compromissum 1. ff. d. 1.

147 Secundus est, quod interruptat praescriptionem, si qua fuerit caepa in re, per compromissum decidenda d. l. cum antea §. 1. Cod.

148 de Recept. Arbitr. Tertius est, quod acta coram Arbitro in eadem causa & inter-

eosdem compromittentes in quolibet Judicio vim probandi retineant d. l. §. 2. l. ult. Cod. de Testibus cap. praesentata 50. X. eod. Brunnem. ad cit. l. cum antea & l. ult. Lauterbach cit. tit. §. 40. & in tract. synopr. th. 41. n. 1. & 2. Panormitan. ad cit. cap. praesentata de Test. num. 6. P. Pirhing eod. tit. n. 209. P. Wiestner ad tit. de Judic. n. 205.

SECTIO VII.

De Contrariis Arbitrio.

SUMMARIA.

149. Attinguntur contraria Arbitrio. 150. Solvitur morte; Etiam unius ex Arbitris. 151. & seq. Ratio redditur. 153. Textus afferuntur. 154. Solvitur alterius morte civili. 155. Item superveniente dignitate. 156. Nec non recusatione suspecti. 157. & seq. Si fuerit in aliquod Collegium compromissum, morte unius ex collegis non solvitur. 159. & seq. Uti nec solvitur, quando compromissum est in unum sub nomine dignitatis, neque persona industria fuit electa. 162. Solvitur praerea morte unius vel utriusque ex compromittentibus. 163. Sive negotium sit captum, sive non. 164. Item morte civili. 165. Uti & contraria voluntate. 166. & seq. Mors procuratoris nihil impedit, nisi datus sit in rem propriam. 168. & seq. Similiter nec mors tutorum vel curatorum. 170. Solvitur denique prolatione sententiae. 171. &

seq. Dupliciter limitatur assertio. 173. Certum tempus, si praesentium & elapsum sit, Arbitrium cessat. 174. Alias triennid Arbitrium debet absolvi. 175. Tempus non potest prorogari contra consensum omnium. 176. Nisi aliquid in compromisso sit dictum. 177. Quo casu extendi, non autem restringi potest. 178. Textus pro appellatione contra laudum. 179. & seq. Textus, & Auctores, & ratio contra appellationem. 181. Solvuntur textus anteriores. 182. Datur tamen quandoque exceptio doli. 183. Varia placita circa reductionem laudi. 184. & seqq. Assertio, & probatur reductio. 193. & seqq. Vindicatur ab objectionibus. 203. Petenda est intra decennium. 104. Sicut appellatio. 205. & seq. Causio, qui contrarius est, satisfi. 207. Petenda coram Judice ordinario causa, ab Arbitro decisa. 208. Solvitur in-